

DE SUCCINO

bus, insita quædam illustria vestigia; per quæ quasi manu deducimur ad Archetypi admirationem & venerationem, vt rectè dicatur:

Præsentemq; refert quælibet herba Deum.

Viola exiguus flosculus hoc ipso tempore, etiam in frigore, ex terra primò erumpit, cum primum sacrosancta historia passionis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, in Ecclesia recitari solet, vt ostendat nobis imaginem humilitatis Christi.

Serpit humi viola, nec sese in altum attollit, & quanto plus pedibus conculcatur, tanto magis fragrantem odorem spirat. Aureus umbellus, quæ purpurea folia vestiunt & amplectuntur, diuinæ & humanæ naturæ copulationem significat, purpureus foliorum color liuorem Christi ex plagis & verberibus exprimit. Sed iste flos ad cordialia medicamenta est præstantissimus: in febribus æstû caloris corrigi, animi deliquio correptis occurrit,

rit,